Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 203
Quelle:
Copyright:

LXXXIV. VII. J. 10

849 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 172. 8. per duas columnas minute ſed nitide exaratus, rubricisque diſtinctus, praemiſſo rerum memorabilium indice continet *Commentaria* moralia in *Pſalterium* potiſſimum e Patribus lecta, quorum initium: *Beatus uir &c. Sciendum quod intencio pſalmorum eſt facere homines virtuoſos. Quia igitur iſte pſalmus tytulus eſt aliorum propter hoc in iſto tangit virtutes inter quas prima eſt beatitudo et ideo primo de ea loquitur deo* &c. Ad IV. porro Virtutes, quas *Cardinales* vocant, ſua reducit Autor ita, ut ab initio usque ad *Pſalmum* XXXVI. *Juſtitia*, inde usque ad *Pſ.* LXX. *Fortitudo*, deinceps usque ad *Pſ.* CVIII. *Prudentia*, demum usque ad finem *Temperantia* ſummae foliorum orae minio ſit adſcripta. Verum extrema deſunt; deficit enim interpretatio in *Pſ.* CXLIX. v. 2. verbis *Gregorii: Homo per exteriorem uerecundiam interiorem ingrauat culpam. ut dicat illud Jer. III. frons meretricis facta eſt tibi.* Autorem *Gallum* fuiſſe ſuſpicor, cum ex iis *fol.* 99. p. 2. *Mare non excipit perſonam. ſic infernus ita deuorabit regem ſicut uiliſſimum garcionem;* tum e citata in margine *fol.* 98. p. 2. *Summa cancellarij.* Quo loco tamen intelligi vix poterit ob aetatem Codicis *Johannes Gerſon*, ſed aut *Petrus de Alliaco*, aut alius quis eo in munere Anteceſſorum veniet. Eruditionis etiam profanae non exortem fuiſſe Noſtrum *Ovidius* plus vice ſimplici adductus probat. Patrum citatorum Nomina poſterior manus marginibus adlevit.

LXXXV. VII. D. 8.

Codex chartaceus lat. Sec. 246
XV. Folior. 359. f. per duas columnas bene exaratus continet: I. *Commentarium in Pſalmos Davidicos* absque Autoris indicio, quem tamen invenio *Ludolphum* ſ. *Leutholfum de Saxonia*, qui Sec. XIV. ab Ordine Praedicat. ad Carthuſianos tranſiit, ut habes in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 568. et in *Theod. Petreji Bibl. Carth.* p. 233. Prologi initium eſt: *Sicut olim manna habuit delectamentum* &c. Sed praefigitur locus *Jobi.* c. 26. *Spiritus eius ornauit celos* &c. quem tardius additum fuiſſe putem. Interpretatio *Pſalmi* I. ſic incipit: *Autor huius pſalmi proprie ignoratur* &c. Sententia ut plurimum *Hieronymi*, *Auguſtini*, *Caſſiodori* et *P. Lombardi* ſententiis inſiſtit. Singulis *Pſalmis* ſubjecta eſt, ut jam in pluribus Bibliorum *Codd.* vidimus, pia precatio, quas junctim legere eſt inter *Georgii Caſſandri* Opera. Pſalmi *ult.* interpretatio finit: *acutum ſonum reddunt, qui etiam tynnitus dicitur*, quam excipit precatio: *Armonie noſtre ſuaviſſimum melos* &c. Atque hic in editione ſaltem *Veneta* 1521. f. quam ex pluribus a *Fabricio* in *Bibl. med. et inf. lat.* L. 11. relatis ante me habeo, explicit *Ludolphi* opus, ſed in *Cod.* noſtro ſequitur

II.